

Exeg.

B.

1249

E BIBLIOTHECA
FRID. ADOLPH. EBERTI
S. F.

In V. J. 1022 a

Regis & Prophetae Davidis
PSALMUS CIII.

Sive
Frid. Taubmanni

Χαερσηερον.

Cum A G O N E duodecim Poëta-
rum Prophetico.

*Quos tu, L E C T O R, inter se committo; & ser-
monem Spiritús S. in lingua Poëtarum di-
judica.*



VVITTEBERGÆ,

*Apud P. Heluvichium, Typis Martini
Henckelij, ANNO*

M. D C. XIII.

*c2. & Excell. dñs Hertke-
dero d. p. s. d.*



Frid. Taubmannus

IOH. RODENBORCHIO

Antuverp. Viro Excellentiss.

S. D.

Qu u M Septembri proximo civitas nostra contagio pestilentiae funestaretur, & in Academiâ, ob fatum mei ex sorore nepotis inopinum, familia etiam mea isto nomine traduceretur; placuit domi nos contineri. Varii varia in re istâ trepidâ, ut solet, suadebant: alii fugam aut secessum: alii, ut me unum cum filio tempestati (ut Carus appellat) creperæ subducerem; alii, ut familiam universam. Et huc jam animus inclinabat. sed pientiss. Uxorcula, suo sexu & fortunâ seculi fortior inclinâtem salubribus monitis animosè sustentabat: ut nec familiam divinitus sic coalitam divideremus, nec universam loco moveremus. Manum Domini esse, quæ nos impendat. Non decere Christianum in Ecclesiâ & domo fidei diffidentiâ fidem
):(2 temerè

temerè prodere. Cum Justitiâ DEI SEM-
PER currere MISERICORDIAM. Et
super eâdem, inter alia, Davidis Prophetæ
PSALMUM CIII. quasi digito Dei exara-
tum, & cælitus in cor Davidis, & ab eo in
Ecclesiam delapsum, identidem obverte-
re; & in quo scilicet uno MISERICOR-
DIA DOMINI & verbis expressis & co-
lore Poëtico DUODECIES continuò in-
culcetur. Hoc chirographo ipsū audacter
cōveniēdum. Nos quidem chirographum
MORTIS fecisse; at illum contrâ, VITÆ.
Nec arrogātem videri debere istam usur-
pationē, sed fidelem: ut quæ verum DEUM
NON POSSE fallere profiteatur. Sic ergo
omnes sub alis & tutelâ Domini in nidulo
nostro perseveravimus, bono & præter
spem multorum eventu. Quod grato et-
iamnum animo, per DEI gratiam, agno-
scimus, & MISERICORDIAM DOMINI
precibus ac hymnis diu noctuq; celebrare
privatim non desistimus. Atq; ut talis ac
tantæ in nos immerentes MISERICORDIÆ
divinæ argumentum etiam publicum ex-
taret, PSALMUM illum meras misericor-
dias Domini spirantem & quasi ex abyssu
divini pectoris egurgitantem, Carmine
Latino heroico indui; secutus peritissi-

mos quosque Hebræorum fontium aqui-
leges & interpretes. Ut autem affectus
mei calorem, aut ignem potiùs, alimento
diurno & idoneo nutrirem, etiam alio-
rum Poëtarum versiones & paraphrases
adjunxi: ut nostram fierent **DUODECIM**.
In quib. quidem typographi comitas pri-
mum mihi locum dedit, qui in postremis
stare debueram. sed quomodo scilicet pri-
mus est metator, qui Principibus diver-
sorium designat: aut tympanotriba, qui
militem in aciem producit.

HOC autem pietatis exercitium tuo
nomini, mi Opt. **RODENBORCHI**, in-
scribere volui: primùm, quia, quamdiu
inter nos novimus, pietas & amor reli-
gionis curæ & cordi tibi unicè fuit; & quã
videri poteras à lacte materno imbibisse:
quam quidem matrem tuam à spiculato-
re Albani carnificis, in complexu mariti
Antvverpiæ transfixam; teq; cum Paren-
te, relictâ bonâ patrimonii parte, in hanc
Germaniam, pietatis affectu tractos emi-
grasse scimus. Deinde quia tu, si quisquam
alius, de his exercitiis rectissimè judicare
poteris: quippe, qui non tantùm fontes
Hebræorum & Sacræ Scripturæ, unde ista

derivata sunt, probé nosti; sed & in omni
doctrinarum genere, atque in hoc etiam
Poetices, ita versatus es, ut bonarum lit-
terarum quoddam quasi penu & ambu-
lans bibliotheca (cujusmodi testimoni-
um bonâ fide tibi nunc olim perhibuit A-
cademia nostra) esse videaris. Et gaudeo
Academiam etiam Lipsiensem gustum
tui in Prælectionibus publicis nuper ha-
buisse, & (quod à bonis & doctis habeo)
feriò probasse. Et éstne, qui unquam ver-
bum ullum insolentius ex te, vel per jo-
cum & inter amicos, audiverit? adeó infi-
gnis illa & paucis hodie, qui tui aliquid
habent, usurpata Modestia te hætenus
cohibuit, & pænè cum damno bonarum
litterarum occultavit; sed propediem à
bono DEO (auguror) & à bonis protra-
hendum. Denique & hæc præscriptionis
hujus causa fuit, & quæ primo loco poni
meruit, quòd tu, cùm Lipsiæ esses & tot
millibus à nobis divisus, famâ rei tamen
excitatus me cum charis meis à consor-
tio hominum (ut Cypriani verbo dicam)
abstentum, & litterarum alloquio confir-
masti; & quo vires etiam corporis aut re-
ficerem, aut, sicubi opus, sustentarem, mi-
listi:

sisti: idque pænè omnium primus; certè
inter primos, atque in tempore, cum tali
aliquâ medicinâ maximè indigerem. Ne
ergo ingratus viverem, & ut insuper ami-
citæ nostræ aliquod testimonium exta-
ret, hunc Psalmum, quem Propheta Re-
gius, quasi extra se in cælos usque atque
ad thronum Misericordiæ & Majestatis
divinæ raptus, composuit, sub auspicio
nominis tui publicare volui. Tu iterum
salveto, & me, quod facis, amare pergi-
ro: sed & Rev. Theologo, Domino Vin-
centio Schmukio, communi amico & ho-
spiti tuo verbis meis salutem dicito. Sed
heus tu, Is. Casaubon. jussu Regis sui, An-
nalianum Baronianorum, in quorum lectio-
ne curiosum te & assiduum novimus, par-
tem primariam, ubi jugulus & anima vor-
titur, sub censuram & examen jam vocat:
sed quæ Viri modestia est, placidam &
mansuetam: cuiusmodi moderationis spe-
cimen dedit eximium in nuperâ ad illam
Cardinalis Perronii Epistolam Responsio-
ne: quam Auctor ex Angliâ usq; ad me,
misit, gratum acceptumq; donum; quale
hoc meum tibi esse cupio.

Wittebergæ, Mense Decembri.

);(4

Eja



I.



IA Anima: eja Anima mens intima, &
omnis in imâ

Mente - animi quicumque vigor, que-
cumque facultas,

Exserere, exserere: & DOMINO suâ redde merenti
Carmina. sacrilegæ furor impietatis & ausi est,
Tot benefacta DEI benedictio nolle vel uno
Péndere. Tu, voti rebus damnata malignis,
O anima; interpresque Anima tua, lingua, fac esto:
Daque DEO meritas, tibi qui dedit omnia, laudes.

Hic tibi, quotque & quanta tuæ sunt crimina vitæ,
Donat: & in cretam primâ sub origine pestem
Fomentumque mali & nulli medicabile, sanat.
Hic vitæ momenta tuæ mortique sepulchróque
Omnibus exemplis addicta, salutifer annis
Adseruit rediviva novis. Hic totus abivit
Patris in adfectus: & quoquó verteris, omni
Parte coronavit mera te clementia Iovæ.
Hic tibi, quæ vitæ petit usus & esus, abundé
Suppeditat; fesseque situm frigusque senectæ
Exsuit, & vivax aquila superinduit ævum.
Quique sui nostrique memor rem supplicis aquâ
Iustitiæ librat trutinâ; consutaque cæci
Texta doli resuit, pravorum acerrimus ultor.
Hic, quid vitatu factuque sit utile, Mosi
Legum -latori præscripsit; & Isace-
natis Consilij miranda sui magnificentia probavit.

SED

*SE D tamen hæc laudum summarum est summa Ie-
Adficitur rebus miseris--mortalibus ab imo (hova)
Pectore. Nec satis hæc. Indulgentissimus idem est.*

Nec satis. Iræ scilicet noxæ tardissimus idem.

Idque parum. Bonus, & Bonitas est ipsa: quid? immo

Prodigus ipse SV I est, omnemque effundit amorem.

Iræ interveniunt? ultrò placabilis ardet:

Nec memores unquam exercet crudelior iras.

Nec penas unquam peccato æquare, nec unquam

Supplicio male-facta pari pensare laborat.

Quantum suspectu superant & mole, reductum

Infima puncta solum, celsissima culmina cæli:

Tantum oculis, tantum ille animo peccata removit

Nostra suo, vastoque sinu absorpsit hiatu.

Quantum Sol oriens & Sol occasus Olympi

Ambitione sui distractus utrinque recedit:

Tantum ab se mortale nefas disprevit: & ortu

Si quid & occasu se longius extrahit omni.

Vt Pater in gnatum, sua viscera, flagrat; & illum,

Vel scuticam intorquens, patrem non exsuit: æquã

Sic DEV Selecto generi probat indole patrem,

Novit enim infrenæ qui quòtve cupidinis æstus

In brevia & syrtes adigant mortalia. nos scit

Pulveris esse glomos fragilisq; coagula massæ.

Vidisti in prato speciosi graminis herbam?

Vidisti florere rosas & gramina campo?

Talis homo est. Moritur gramen; moriturq; rosarum

Purpura; tu moreris; Boreæ quum pestilis horror

Savius incubuit. Nec gramen, nec rosa, nec tu

Vlla requirenti vestigia linquitis ulli.


At Bonitas DOMINI saeculis fuit omnibus, ævi
Integra flore sui: seseque propagine ducit
Traduce per patriumque genus generis que nepotes,
Quos patriis animosa Fides exercet in ausis,
Quà Pacti-conventa jubent Ritûsque sacrorum.

Suspice flammigeri librata volumina celi:
Si quid & ignitas supereminet altius arces,
Transi oculis animi. posita est ibi regia sedes:
Illic majestas dominatur in omnia IOVÆ.

TALI igitur tantoque, ac talia-tanta patranti,
Pervigilò Geniorum acies, fortesque Camilli,
Quis dictum factum est: tanta (eja!) & talia laudum
Dicite. Vosq; animos sociorum æquate canendo,
Militiæ caelestis honos. Opera omnia Celi,
Omnia Terrarum, Maris omnia; pangite laudes
Unâ voce DEO. Túque, una atque unica, flatu
Nata DEI, ô Anima, ô hominis summa omnis, in V-
NVM

OMNIA conferto laudum ornamenta IEHOVAM.

F. TAUBMANNUS



II.

TOTA age vis animæ nostræ dissolvere, totam
Te in Domini laudes, dissoluisse decet.
Omnes hoc ægro quæ sunt in corpore vires,
Laudent immensi nomina sancta Dei.
Divinas iterum toto cane pectore laudes,
Mens mea, quæ sedem corporis hujus habes,

A 4


Et

Et noli non esse memor, quia rettulit olim,
Sed non pro meritis munera tanta tuis,
Qui tibi cuncta volens peccata remittit, & idem
Qui tua praesenti vulnera sanat ope.
Qui te servat ab interitu, qui doribus ornare
Mirificis vitae tempora cuncta tuæ.
Qui larga satiare tuum bonitate palatum,
Et quæcunque voles munera ferre potest.
Qui reddit tibi more aquilæ jam debilis ævo
Acta juvenutis tempora vernæ tuæ.
Vindicat oppressos Deus, & non digna ferentes
Adferit, & salvos viribus esse facit.
Ipse suas Moses voluit cognoscere leges,
Dextræ Israel facta stupenda suæ.
Et pius & plenus Deus est bonitate, nec iræ
Præcipiti, ad veniam pronior esse solet.
Pauca nec in multis exercet jurgia rebus,
Longior haud illi causa furoris erit.
Non pro criminibus nobiscum agit ille peractis,
Nec mala pro nostris reddidit ulla malis.
Quàm superant humiles cœlestia sidera terras,
Tam Domini bonitas extulit ista pios.
Longius à nobis peccata is nostra removit,
Quàm sit ab occasu Diva pudoricolor.
Ut pater errantes revocat sua pignora natos,
Sic pronam tumidis fert miseratus opem.
Novit enim vili quàm simus origine ducti,
Et nisi, quòd simus, pulvis & umbra, nihil.
Est homo persimilis fœno per prata virenti,
Ut brevis in pingui quæ rosa floret agro.

Quam

Quàm simul attigerint urentis flamina venti,
 Aret, & exiguo victa calore jacet.
 At Domini bonitas sine fine his certa manebit.
 Tam fidum ex animo qui timuere patrem.
 Ipsius immoto qui servant foedera pacto,
 Jussaq; sincera mente tulere sequi.
 Ipse suum cœli solium stabilivit in arce,
 Omnipotens toto regnat in orbe Deus.
 Angelicę mentes domino date munera laudum,
 Quos alios, virtus nobilis, ante tulit.
 Omnia qui facitis quæ jusserit ipse, nec ullo
 Ipsi non estis tempore morigeri:
 Arma Deum laudent; exercitus omnis adoret
 Militiæ, & sub eo quicquid ubique manet.
 Præcipuas Domino laudes afferte ministri,
 Qui placita ipsius jussaq; perficitis.
 Cuncta creatorem fateantur facta potentem,
 Per loca quæ regno subdita cunq; tenet.
 Tu quoq; nunc animi vis tota & maxima nostri,
 Tam facilem lauda, quo potes ore, Deum.

Eoban. Hessus.



III.

TOLLE anime ô Dominum, quâ par est, laude; ce-
 grate vigor mentis numina magna DEI: (lebra
 Qui fons nature, mundi genitilis origo,
 Cuncta regit nutu condita, cuncta fovet.


Tolle

Tolle anime ô Dominum, quâ par est, laude; nec un-
Non meminisse, tibi quæ dedit ille, velis: (quam
Qui veniam culpis tribuit, noxasq; remittit,
Et vitium ex animo diluit omne suo.
Qui sartum, & tectum præstat, nece vindicat atrâ,
Temporibus ponitserta sacrata tuis:
Æterno intextas amarantoserta coronas,
Serta favore suo,serta plicata fide.
Qui, tibi quod decus est, cumulat: qui viribus auctum
Quale aquilæ est juvenis, robur habere jubet:
Vexatis reddit jus, vindex crimine solvit,
Innocuis tutus portus & aura reis.
Qui sacras docuit leges Amrame creatum,
Isacidas sensum consiliumq; suum:
Qui clemens, facilis, tempus non ducit in iram,
Afflictos læsus nec sine fine premit:
Qui non ex meritis tractat; non nostra coerces
Crimina, quo sævi fulminis igne queat.
Non polus emicuit sic à tellure; recessit
Vt bonitas irâ, quâ pia corda fovet.
Ortus ab occasu, Zephyrus quàm distat ab Euro:
Tam longé à nobis crimina nostra fugat.
Quàm pater in natos facilis; tam mitis in omnes,
Ipsum devotâ qui pietate colunt.
Namque luti fragilis compostos pulvere, cunctos
Umbrarum novit somnia, & esse nihil.
Talis homo, qualis floret rosa, læsaque vento
Iam subitô non est, quo stetit anté, loco.
At bonitas sine fine Dei perdurat in ævum,
Est quorum probitas irreprehensa, piis.

Quin

Quin etiam natis, & qui nascentur ab ipsis
Sunt rata perpetuæ præmia iustitiæ.
Tam pietas est grata Deo, quæ fœdera servat,
Et legum sanctas nititur ire vias.
Ecce sator rerum solio fulgente resedit,
Et tenet immensâ scripta potente manû.
Hunc genij laudate pij, laudate per orbem
Portantes summi dicta verenda patris:
Munere mortales quorum cœlestia discunt,
Doctrinæque sonant mystica verba sacra.
Hunc pennata acies, turmæ radiantis Olympi,
Hunc iussis fungi turba perita Dei;
Hunc laudate, jacent; hunc quæ, laudate, moventur,
Machina qua mundi maxima parte patet.
Ignea lux animi nostris vigor addite membris,
Funde Deo grates, carmina funde Deo.

ADAMUS SIBERUS.



IV.

SIT parens rerum mihi carmen: illum
Vox canat, sensus petat, & remotis
Quisquis est fibris vigor, & sacratum
Nomen honoret.

Mens Deo laudes cane, redde grates
Mens Deo, nullis benefacta sæclis
Excidant, & quæ tribuit benigna
Munera dextra.

Qui

Qui scelus tollit maculosum, & aegros
Sanat angores; animoq; vires
Reddit, & vitæ properante fatō
Prorogat annos.

Qui manu largâ tibi plura donat
Ore quàm poscas, animo vel optes:
Servat ac in morem aquilæ virentem
Flore juventam.

Integer iudex, scelerumq; vindex,
Tradidit sancto sua jura Mosi:
Isaci prolem docuit piarum
Dogmata legum.

Lenis & blandus, dare dona largus,
Tardus irasci: neque sempiternæ
Sevit offensæ memor, aut perennes
Ardet in iras.

Nec modus pœnæ numerusve nostris
Æquus est culpis: bonitas redundat
Latius, terræ plaga quàm remoto
Distat Olympo.

Tam procul nostri maculas removis
Criminis, quàm se procul à cubili
Gaditano Sol oriens Eois
Exerit undis.

Qualis in natos placidi parentis
Lenitas, talis Domini benigni est,
Quisquis illius pietate vera
Nomen adorat,

Tu sinus mentis penitus repositos,
Tu pater nostri penetrale cordis:

Quippe

Quippe, nos terræ memor è rubenti
Pulvere factos.

Herba ceu, lactens pueri venustas,
Prodit, occultoq; adolescit ævo,
Donec ut fœnum cadat arefactum
Falce senectæ.

Instar aut floris Tyrio comantis
Murice, ut vultu modicè sereno
Risit, afflato tepidi repente.

Concidit Austri.

Sed Dei æterna bonitate in ævum
Tutus æternum, remanet piorum
Cœtus, & longa serie propago

Sera nepotum:

Si nec æternas violabit iusti
Fœderis leges, memoriq; iussa
Mente servarit, referatq; vita

Puriter acta.

Ille flammantis super alta cœli
Culmina immotum solium locavit,
Et suo nutu facilè universum

Temperat orbem.

Angeli jussis Domini ministri,
Sub jugum jus est quibus & potestas
Cuncta cogendi, Domino Deoq;

Pangite laudes.

Quiq; castrorum comites meretis
Sub ducis tanti imperio, audientes
Sedulò dictis, Domino Deoq;

Pangite laudes.

Quæq;

Quæq; per vastos ubicunq; fines
Imperi pollens opifex creavit,
Plaudite, auctori Domino Deoq;
Pangite laudes.

Mens Deo grates cane: redde grates

Mens Deo: hunc sensus petat, & remotis

Quisquis est fibris vigor, & beatum
Nomen honoret.

Georgius Buchananus.

V.

MENS JAM cane grata mea, & mea viscera
Ejus diceris quoq; nomen. (sanctum

Mens JAM cane grata mea, ac ne dona canenti
Illius exciderint tibi cuncta.

Ille tibi ignoscit clemens prava omnia; morbos
Ille tibi medicusque resolvit.

Ille tuam redimit vitam foveâ atq; sepulchro,
Te & clemens bonitate coronat.

Os istud saturatq; bonis, aquilæ instar & actam
Ante tuam novat ille juventam.

JAS justitias exercet, judiciorum
Omnibus est auctor quoq; pressis.

Monstravit propriasq; vias, mirandaq; Mosi
Israëlis natis sua gesta.

Est clemens facilisq; JAS, est naribus amplis,
Et multus bonitate benignâ.

Jurgia nec semper movet is, nec servat iniquam
Offensam longum quoq; in ævum.

B

Æqua

Æqua is peccatis nostris non contulit, & non
Reddidit æqua ausis quoq; pravis.
Ut cælum à terrâ est altum, superare timentes
Inque suos voluit bonitatem.
Ortus ab occasu quam longè distat, abesse
Nostra facit delictaq; nobis.
Sic pater est lenis natis, metuentibus ut se
J A S est lenis facilisq;
Figmētum quippe is nostrum novit, meminitq;
Pulvere quo facti quoq; simus.
Mortaliq; dies ut gramen, flosculus ut qui
Floret agris, sic floret & ipse.
Nam vento in vasus nusquam est, illumq; notare
Nemo queat florē inve locū inve.
Ast J A E bonitas à sæclo in sæcla timentes
Se super incumbitq; manetq;,
Illius & natos natorum prospera tangit
Justitia, & justos facit ipsa:
Queis cordi est ejus custodia fœderis, & queis
Jussorum efficiens memor est vis.
J A S in cœlis solium sibi condidit, ejus
Inde patens regit omnia regnum.
Vos J A M angelici cuncti celebrate ministri,
Magno queis stat robore virtus:
Ejus qui facitis verbumque, auditeq; verbi
Vocem ejus prompti cupidiq;.
J A M vos omnes ejus celebrate phalanges,
Ad placitum celeresq; ministri:
Vos J A M celebrate ejus facta omnia, quidquid
Omnia, quæ regnat, loca complet.

Mens

Mens JAM cance grata mea, haud celebrasse fit
Nec cecinisse modus tibi laudes. (ullus
BENEDICT. ARIAS MONTANUS,
Hispan. Episcop.

VI.

HEIA, animula, rerum canamus Principem,
Nomen canamus intimum intus corculum:
Canamus, inquam, animula rerum Principem,
Ejusq; larga praedicemus Munera.
Qui tot pepercit sceleribus clemens tuis,
Tuasq; cunctos curat aegritudines,
Vitam sepulcri qui specu tuam eruit,
Qui te benignus tot coronavit bonis:
In ora largus qui tibi dapes ingerit,
Aquila senectam praebet istam qui tibi,
Jura innocentum qui tuetur fortiter,
Severus idem fraudis ultor perfidæ:
Qui jura Mosen docuit & recti vias.
Res Israele teste qui tot edidit:
Clementis usq; plenus indulgentiæ,
Bonitate abundans, tardus irasci Deus.
Offensionum haud persequutor pertinax,
Iræ ve justas nescius deponere.
Hinc ille nobis asper haudquaquam fuit,
Delicta dignis nostra pœnis vindicans.
Quanto altius caelum solo, tanto istius
Bonitas sui exsuperat timentum crimina.

C 2

Quantum

Quantum remotus ab Oriente est Occidens.
Tantum ille cuncta scelera nostra summoveo,
Qualis paternus animus est in liberos,
Ipsam verentes talis hic complectitur.
Namque ipse nostrum novit ortus omnium:
Tenuique meminit nos sotos ex pulvere,
Ergo viretis oleris instar est homo,
Violave mille floridæ coloribus,
Quam forte Boreas attigit si frigidus,
Perit, nec ejus cernitur vestigium.
Bonitas at ista perstat æqua Numinis
Sui in timentes ac timentum posteros,
Qui cuncta pacti sedulo custodiunt
Contempta nunquam sancta jura fœderis.
Cœlestis hic est regie Rex denique,
Cui cuncta parent summa, parent infima.
Laudate numen hoc potentes Spiritus,
Parere prout illi jubenti Spiritus.
Laudate Numen istud omnes syderum
Ductore sub eo militantes copie.
Laudate Numen, cuncta facta Numinis:
Hunc tu quoque, animula cane & unum prædica.
Theod. Beza Vetzell. Gallus.

VII.

LAUDA, vis animæ, DEUM benignum,
Divinum celebrato numen ejus.
In me vis animæ meæ benignum
Laude extollito munus datum.

Quædam

Quotquot scis tibi contigisse dona,
Excelsi Domini esse prædicato,
Peccatum tibi qui remittit omne.
Labi qui facilis medetur omni:
Vitam qui redimit tuam caducam:
Qui te commiseratione dicit,
Exornat quoq; gratiâ paternâ,
Ori suppeditans tuoque largè,
Mitis te saturat cibo salubri,
Sit vivax, aquilæ ut seni, juventa;
Pressis justitiam dabit Jehova.
Pressis iudicium dabit Jehova.
Leges exposuit viasq; Mosi,
Quas tanquam populus suus sequatur,
Est clemens Dominus, pius roganti,
Est multus bonitate: tardus irâ,
Is non tempus in omne litigabit;
Irarum minimè tenax manebit;
Non pro criminibus facit merenti:
Non dignum tribuit malum reatu.
Terræ celsior orbe: sicut æther:
Ejus gratia sic præit fideli.
Quantum Sol oriens ab occidente est,
Tantundem scelus omne abest per illum,
Illum sic miseret sui timentum,
Ut blandæ sobolis suæ parentem.
Nos ex pulvere novit esse natos:
Tales quòd sumus, ipse scit Creator.
Mortalis, quasi planta, vita floret:
Mortalis, quasi flos agri, virescit:

B 3.

Flos

Flos marcet, simul ac gravis fiat aura,
 Ac post, nec locus ejus extat usquam.
 Stat verò bonitas Dei perennis,
 Stat cum justitiâ gregi piorum.
 Vivant hi modò, quod jubet, sequentes:
 Servent fœdere jus, quod ipse sanxit.
 In cœlis solium Deus locavit,
 Cunctas res sibi subditas gubernat.
 Fortes, morigeri Deo, potentes,
 Legati celebrent eum superni:
 Omnis prædicet hunc cohors ministra,
 Quæ poscente Deo, capessit arma.
 Autori benedicat omne rerum
 Regno subjicitur quod ejus usquam.
 In me sunt quoq; quantacunq;, laudent.
 Lauda, vis animæ, DEUM benignum.

*MAURITIUS, Hessiæ Landgra-
 vius: natus tunc annos XVIII.*

VIII.

ATE, summe parens, mihi carminis incipit ordo:
 Si latet in fibris ad carmen idonea virtus,
 Officiis laudum ferat hujus nomen ad astra.
 Tuq; animi vix tota mei, quæ contulit in te
 Dona Deus, nunc redde Deo, & fer carmine grates.
 Nec memori ex sensu ejicias tibi præstita dona.
 Nam veniam variæ dat noxæ: affectaq; tabe
 Membra gravi ad solidas vires vi numinis effert.

Et vitam extremâ jam stantem
Reddit: & ex omni te parte insignibus ornat
Muneribus: semperq; explet tua vota merendo:
Ac aquilæ in morem impubes iterum efficit annos:
Reddit & oppressæ jus parti: & vindice fato
Afferit is fraudem passos, & jura sinistra.
Ipse modum vitæ Mosi detexit: & ima
Sensa animi genti Isaciæ sacro edidit ore.
Muneris & veniæ indulgens est Numen Olympi,
Ira venit lento, sed gratia præpete gressu:
Non it perpetuo in litem aut fera jurgia necit,
Nec fato memores iras ad secula servat:
Pœna minor culpâ, nec merces æqua labori est.
Quàm cœli situs à terræ se tractibus effert.
Tam v's larga Dei patet in sis a jussa colentes.
Quàm longè posita est domus Euri à sede Eayoni;
Tam longè transfert nostræ vestigia fraudis,
Vt solvant animos atræ formidine mortis.
Ceu duce naturâ pater ardet prolis amore:
Sic patrium affectum fert numen in agmina sacra.
Scit quòd massa hominum est pravis obnoxia votis.
Et venit in mentem quòd nil nisi pulvis & umbra est.
Vita refert certè sortem variabilis herbe,
Cui mora nulla data est standi, aut fiducia Veris,
Et lux quæq; rapit spoliū de munere formæ.
Vt flos in pratis apparet, & illicò transit,
Quem spirans gravis aura loco deturbat avito:
Sic omnes ea fata manent, qui numina spernunt.
Sed pia cura Dei servat sua sacra professos,
Iustitiâq; suâ præstò est in secula natis:

Si pacta obseruent inita, & memori insita mente
Iussa Dei retinent & morum in imagine reddunt.


Arce poli solium premit, & res numine versat,
Et sua frena Deus partes extendit in omnes.

Ergo chori qui sub Ducis huius signa vocati,
Et nervis gravidi, efficitis data jussa repente
Urgetisq; omnes monita ut sacra sequantur:
Rectorem cœli afficite amplæ laudis honore.

Tuq; cohors bello accincta, & latera agmine stipans,
Et dicto parens, merita huius ad æthera tolle.

Omnis res, quocunq; loco ac ditione teneris,
Autori persolve tuos pia munera laudum:
In te summe parens exit mihi carminis ordo.

Joh. Major, Joachimic.



IX.

1. **D**ICEJA laudes mens DOMINI mea,
Hujusq; fibræ pectoris abditæ,
Parate justa encomia Numini,
Nomenq; sanctum tollite honoribus.

2. DICEJA laudes mens DOMINI mea,
Et parce divæ munera dexteræ
DEI tot illa abscondere munera
Oblivioso velle silentio.

3. Obliterata qui scelerum omnium
Turpi tuorum colluvie intime
Expurgat omni sorde animi m tuum,
Lethiq; te atro carcere liberat:

4. Quæ

4. Qui te cruentò carcere liberum
Plenè coronat munificæ manus
Donis opimis, quanta tibi uspiam
Divina abundè spondeat æquitas :

5. Qui mira macris dona salubrium
Buccis ciborum largifica manu
Infercit, annis robur & integrat,
Qualis senectus esse aquilæ solet :

6. Qui jus pio lenimine temperat,
Fucari honestum nequitiâ vetans,
Fraudemq; passos sive calumniam
Injuriosis litibus eripit.

7. Hic lege Mosen erudiit sua,
Et Israëlem mirifica manu
Instruxit : 8. idem se prece flexilem
Iraeq; parcum præbet amiculis :

9. 10. Nec laxat illi pro scelerum modo
Fusas habenas : nec terere iurgia
Nec gaudet : acres & cohibet minas ;
Ipsoq; pœnas verberare mitigat.

11. Quantam illa terris regia siderum
Præstat, redundat Jovæ amor in suos :

12. Aurora quantum à vespere secubat,
DEUS suorum crimina summovert,

13. Ceu filiorum sollicitis pater,
Quâ fas, querelis blandulus annuit ;
Sic hic suorum lætifica metus
Emendat ægros omnipotens manu.

14. Non hunc origo nostra humilis, luti
Informe fallit pulverei chaos,

B. 5.

15. Herba q;

15. *Herbaeque; imago & floris, 16. ad impetum*
Qui ventuli, quò non redeat, fugit.

17. 18. *At foederis qui compositi memos:*
Non pacta soluis, perpetuò hunc tuis.
Spondeto amicum rebus, amabili
Cui jus & æquum glutine nectitur:


19. *Cui cælum adornat digna sedilia,*
Sessore tanto, cui domino libens
Assurgit æther, quicquid & ambitu
Vasto coërcent terraque; & æquora.

20. *Sonate plenis hunc, genij boni,*
Sonate sacri vocibus alites,
Turmae potentes, quos sibi destinat
Vocis ministros assiduos suæ.

21. *Cantate fortes alituum chori,*
Sacrae administri militiae alites,
Quis cuncta fas est Principis unici
Morâ remotâ iussa capeffere.

22. *Laudate vestrum, dextrae opera inclyta,*
Hymnis sonoris artificem DEUM,
Quocunq; vobis imperet hic loco.
Tuq; ede laudes mens DOMINI mea.

Christianus Laur. Egenolphus.



X.

I*N nova fert ardor laudum praeconia cantum,*
Mens animi penitas, si quis vigor, exere vires:
Excutiensq; sinus, secretaq; pectoris ima,
Prome Deo laudes, nomen venerata colendum.

Grates

Grates solve pias, mens ô mea, gnara bonorum
Atq; memor, largæ cumulat quæ munere dextræ.


Qui veniæ indulgens, tibi culpæ admissa remittit,
Et vitij saniem primævæq; vulnera sanat,
Expedit & vitam laqueis ac compede leti.
Quiq; domum stipat fecunda sorte bonorum,
Explens ora tibi jejunaq; viscera pastu:
Quiq; tuam, senium ponentis præpetis instar,
Vernantis renovat juvenili flore senectam.
Ius reddens Deus oppressis, ultorq; nefandæ,
Quæ funesta parat probitati retia fraudis.

Scilicet hic legum patefecit iura sacrarum
Amramidæ, ostenditq; suæ miracula dextræ
Isacidis; largus veniæ, parcusq; furoris,
Ad pœnas lentus, meritorum ad præmia velox.
Non iram exercet memorem, nec jurgia neçtit;
Nec pœnam nostræ metitur pondere culpæ.
Quantus enim ætherias celi suspectus ad oras,
Orbe quod immenso terrarum amplectitur orbem,
Tanta suæ, majorq; modo, bonitatis in omnes,
Ipsam qui reverenter habent, mensura redundat.

Quam procul occiduis veniens sol distat ab undis,
Quam procul Austrino Boreas secluditur æstu;
Tam procul à nobis noxæ delicta removit.
Utq; patrum teneros fovet indulgentia natos:
Sic amor in sobolem subit & miseratio Iovam;
In sobolem, quæ patris eum reveretur honore.
Namq; illum nostri non fallit fabrica massæ,
Pulveris illuvies animati, auramq; trahentis,
Inq; auras animam rursus exhalantis inanes.

Quale

Quale oleri violæ hinc genus, quam mane comantem
 Puniceiq; decus pandentem floris amœnum,
 Pestifero mox afflatu necat halitus Austri,
 Oblitam decorisq; sui, ignaramq; locorum,
 Que modò coccineo velabar opaca galero:
 Talis vita hominum, vix celo ostensa relinquit
 Dona, suum feni mutans marcore vigorem.
 At bonitas certum servat divina tenorem,
 Atq; pius perstat nullo cum fine bonorum;
 Iustitiæq; fides ad seros usq; nepotes
 Porrigitur, firmo qui sedere pacta tuentur,
 Illius & curâ peragunt mandata fideli.
 Ille sibi solium celi super alta locavit,
 Vnde suo terras & numine complet olympum,
 Imperioq; premit spaciosum regna per orbem.
 Spirituum ergo cohors, virtute armata potenti,
 Turba ministerio nutuq; accincta Tonantis,
 Ut verbi accipias referenda oracula mundo,
 Pange Deo laudes hymnum modulata canorum:
 Dicitò idè Pæan, & idè ter dicitò Pæan,
 Celicolùm pennata acies, perniciosæ alis
 Fulminis, ut rerum Domini mandata capeffas.
 Per laudes juvet ire Dei, celumq; solumq;
 Et quæcunq; soli celiq; amplectitur orbis,
 Imperio subjecta Dei, subjecta regentis;
 Tuq; Deo laudes, mens ô mea, prome perennes.
 Greg. Bersmanus.



XI.

AUSPICIO chori superni
 Nunc ô mens mea surgito!

Atq; D E O melos novellum
 Dulci clange poemate.
 2. Mens mea, surge, surge, fortā
 Grates redde D E O pias:
 Et memori benigna J O V Æ
 Serva munera pectore.
 3. Qui scelus omne corde miri
 Indulgens veniæ, levat:
 Atq; piacula cuncta tollens
 Ægros viribus instruit.
 4. Qui redimens necis sepulcro
 Vitæ dat bona floridæ:
 Quiq; tuam domum benignæ
 Dicat munere gratiæ.
 5. Quiq; cibo superfluente
 Fauces exsaturat tuas:
 Quiq; gravem novat senectam,
 Instar præpetis alitis.
 6. Justitiam J E H O V A servans
 Oppressos relevat bonos;
 Ac sceleris doliq; vindex
 Multat supplicio malos.
 7. Qui patefecit æqua Mosi,
 Et vitæ docuit modum:
 Quiq; gregi Jacobidarum
 Legis jura suæ dedit.
 8. Qui miseratione dives,
 Et largus veniæ bono:
 Qui bonitate plenus almâ,
 Vindictaq; carens gravi.

9. Non

9. Non memor ille persecutor
 Offensæ priùs inditæ:
 Neve furore semper acri
 Fervens jurgia continet.
10. Non merito rigore semper
 Plectit crimina fontium.
 Neve pari malo rependit
 Nostri flagitii malum.
11. Quàm laqueatus Orbis altè
 Se terram super exserit:
 Tam bonitas DEI paterna
 Credentum super agmina.
12. Quàm procul Occidens ab Ortus
 Longo tramite diditur:
 Tam procul ille pravitatis
 Nostre crimina transtulit.
13. Qualis amor boni parentis
 In natos sibi proprios:
 Talis in hos amor JEHOVÆ,
 Qui verè recolunt eum.
14. Ipsus enim creationem
 Nostrom prævidet omnium,
 Et renui soli rubentis
 Nos scit pulvere conditos.
15. Ceu violæ, rosæq; vultu
 Turgent manè, dein cadunt:
 Sic hominis dies miselli
 Cursu præcipiti volant.
16. More cadit labantis herbæ,
 Quam ventus volitans super
 Dejicit.

Dejicit, & suo revulsam
Disperdit meditullio.

17. At bonitas DEI perennis
Cœtum permanet entheum;
Justitiæq; vis ad usque
Seram durat originem.

18. Fœdera qui sacrata JOVÆ
Firmo pectore continet;
Atq; verenda jussa servans
Zelo persequitur pio.

19. En solium sibi JEHOVA
Exstruxit super æthere:
Atque soli, poli q; vastum
Freno dirigit avico.

20. Aligeri DEI ministri,
Queis est dia potentia,
Jussa sacrata persecuti
JOVAM dicite carmine.

21. Vos quoque siderum tribules
Celestum, duce sub DEO,
Jussa sacrata persecuti
JOVAM dicite carmine.

22. Vosq; creata cuncta, latè
Mundi per loca quælibet:
Tuq;, cor ô meum, novello
JOVAM dicite carmine.

Casparus Conradus Vratib. D.

XII.

EIA anima in Domini vigil expergiscere laudes,
Quicquid in hoc toto est pectore, plaude Deo.
Neminis

Numinis in sanctum resoluta effunder e nomen,
Tota animi virtus, vita vigorq; mei.
Grata, tibi quoties benefecerit ille, memento,
Immemor o tanti muneris esse cave.
Qui te restituit servatum a morte saluti,
Ut vitam in medio funere salvus agas,
Teq; coronatum patrio complexus amore
Continuis cumulat, pascit alitq; bonis.
Qui vegetis aquila renovatum viribus ornat,
Ut juvenis semper sit simul atq; senex.
Omnibus hoc constat defensio vindice justis,
Omnibus hoc constat iudice poena reis.
Doctrinae genus ille sua cognoscere Mosis,
Et facta Isacidis nosse stupenda dedit.
Lenis & indulgens Deus, ardens totus amore,
Pectore mansueto longanimiq; parens.
Non cupidus semper vindictae incumbet in iram,
Non adeo vindex juris acerbus erit.
Crimina non rigidè poena æquivalente reppendit,
Pro culpa precium par referendo pari.
Quàm procul à terra caelum est: tam praevallet omnes
Alta Dei bonitas, qui timuere Deum.
Quàm procul occasus distat seclusus ab ortu,
Tàm procul à nobis ira remota Dei est.
Quae patris in sobolem est affectio, italis in omnes
Ejus, honoratum qui reverentur, amor.
Novit enim, fragilis quàm simus fabrica massae,
Quàm nisi terrenus pulvis & umbra, nihil.
Graminis instar homo est, vernus quasi flosculus agri,
Deficiunt sensim cujus, ut herba, dies.

Quàm


Quam simul horridior modò ventilat aurula, transit.
Ne locus agnosci, quo stetit antè, queat.
Sola Dei bonitas in secula durat ad omnes,
Pura quibus cordi est cum pietate fides.
Iustorum soboles illi super omnia curæ,
Totaq; posteritas, quam tueatur, erit.
Quæ memori servans illius pectore fœdus,
Omnibus obsequiis, quod jubet ille, facit.
In cœlis solium Dominus sublime locavit,
Regnaq; Rex regum subdita cuncta tenet.
Ergò agè spirituum cœlestibus inclyta donis
Tota ministeriis addita turba Dei,
Debita fer Domino præconia, vocis ut ejus
Clarus inaudiri possit ubiq; sonus.
Vos quoq; divino devota Examina cultu
Numinis æternum voce sonate decus.
Vosq; creaturæ, cœlestis fabrica dextræ,
Omni bus auctoris nomina ferte locis.
Euge cor evigila, vosq; intima viscera cordis
Diffluite in laudes tota soluta Dei.

Fridericus VVidebramus,
Theol. Doct. & Profess. P.



C

Solemni


Solemnibus Natal. J. CHRISTI P. P. in
Academia VVittebergenſi, Anno
M. DC. XIII.

MVNDI- opifex opus Ipſe ſuum (mirabile dictu)
Factus adest. hominemq; ſibi Deus induit, ut ſe
Nobis, nos que ſibi ſubtractos redderet olim.

Prima ſalus oblata domi ſuit Iſace--natis,
Et conſanguineis. ſed inerte ſuperflua faſtu
Poſteritas Legis que patrum ſecura ſuique,
Reſpuit oblatam. ſpecies ingloria CHRISTI
Offendit tumidos. dedit ergo ſuperbia pœnas:
Vt, qui non digni vitâ eſſent cœlite, VITAM
Ante oculos interq; manus tractantis haberent;
Nec tamen in mediâ verſantem luce viderent.

Dæmonas imperio verbi excutit ille: ſolutos
Reſtringit nervos homini; lectique fit æger
Portitor ipſe ſui. Vim ſacram elephantis ab imis
Exigit unguiculis. Cæco genitricis ab alvo
Incendit cryſtallam oculis & luminis ignem.
Plectra movet lingue non ulli debita voci.
Purificat ſurdas acuit que ſonoribus aures.
Per medium ponti fluctu ſuſpenſus aquarum
Calcat iter, nec mole ſuâ ſubſidit. atrocem
Compescit ventorum animam & freta cœcitate, dicto.
Vitâ etiam functos, jamque atrâ tabe fluentes
Verbo animat, vitæ dominum letique profeſſus.
Omnia nequicquam. Si cælum ad tartara præceps
Merſiſſet: ſummo ſi æquaſſet tartara cælo:

VANA

Vana laborasset. facies despecta probabat
Simplum hominem; duplicem monstrosa potentia re-
Præstigiatores. quamvis oracula Vatum; (rum
Quamvis ipse Deus, talem fore dixerit olim.

Neglectus sic ergo domi, peregrina citavit
Iæpeti de gente foris sibi nomina. Gentem
Ipse vocabo meam, quæ non-meæ, dixit: & illis,
Quis facies ignota mea est, me fecero notum:
Quique se dent spissâ tenebrarum & mortis in umbrâ,
Hos divinâ super florebant lumina flammæ.

Nos genus Iæpeti peregrinum nomen, & extra
Abramidum fines extorres egimus avum.

Nunc velut indigenæ censemur: & exultat Abre
Posteritas mentita patrem. Negat ore? fatetur
Eventu: & profuga est patriæque sui que Deique.

NOBIS ergo Deus de virgine nascitur infans:
NOSTER hic est CHRISTVS. Quodq; est homo,
CHRISTVS haberi

Gestit; at possit, quod Christus, homo esse; coheres
Nominis & censûs, qualem nemo aure probavit,
Nemo oculo vidit, nec pectoris hausit abysso.

Sed sic Christi erimus, si CHRISTVM imitabi-
mur, ut nos

Ipse magisterij præceptis imbuit auctor.

At quotus est hic quisque sui memor ordinis? aut se.

Hospitium mortale DEO parat hospite dignum?

Nos nostrumque DEV M peccati separant horror.

Résque fidem facit ipsa. putes elementa recenti

Conjurasse malo. Quia nos piget ire lavatum

Sordem animæ lacrimis; Cælum lacrimatur abundis

Imbribus, & segetem radicibus eluit imis;
Pestifera monumenta famis. Quia nostra pigramur
Spiramenta animæ in gemitum & suspiria CHRISTO
Solvère; ventorum prorupto turbine laxat
Indomitorum animas cæli furor imbricus omneis,
Et gemitum invito ciet & suspiria cordi.

SED ne Preco etiam gemat & lacrimetur ad Aram
Tristis in officio: pro re tolerate merentem.
Copia, sit mensura dati. qui pauperis agri
Littus arat, nomen vel spico expungit: at hæres
Vberis annonæ, pleno se mergite jactat.

CVIQVE suum decuplo reddet **IOVA**, **DIVES**
IN OMNES.

Auctore
F. TAUBMANNO.



- 3 -

Eweg B 1249

